



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 83. Prælium Varnense Christianos inter & Turcas

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

ma sumere, atque ad proelium paratos esse jubebat. Commissa igitur eidem Huniadi aciei, ordinumque dispositione, non nisi octodecim, vel, ut quidam volunt, viginti millia Christianorum numerata fuere, Turcarum copiis ad sexaginta & amplius, vel etiam juxta quorundam Scriptorum fidem, ad centum millia ascendentibus, initumque est proelium decima die Novembris in vigilia Sancti Martini.

Sæcul. XV.  
A. C. 1444.

§. LXXXIII.

*Prælium Varnense inter Christianos  
et Turcas.*

Ergo non minori fortitudine, quam diuturna pugnantium pertinacia utrinque commissum est proelium. Vix prima Christianorum acies obvia quæque Turcarum perruperat, cum Amurates sinistro hoc facto conterritus, confestim fugam arripere, arenaque excedere constituit, quem tamen officiales sui fugientem, arrepto equi freno cohibuerunt, mortem minitati, ni abjecta vecordia strenue ad pugnam rediret. Restaurato igitur proelio, & furore utrinque animi ardorem acuate, diu ancipiti Marte pugnatum est, victoria nunc ad Christianos, nunc ad Turcas inclinante, tandem vero Ottomanis accessit, ubi & Christiani

*Nauclet. gener. 49.  
p. 466.*

*Hist. Eccles. Tom. XXVIII. G stiani*

Secul. XV.  
A. C. 1444.

stiani immodico hostium suorum numero oppressi, non nisi, ut sibi ferro fugæ viam aperirent, dimicabant.

## §. LXXXIV.

*Ladislaus Poloniæ Rex in prælio occisus.*

**L**adislaus juvenili audaciæ & victoriæ ardore animatus confertissimis hostium turmis sese ingerebat, & necquicquam eum retrahente Huniade, cunctis obviis dextra, lævaque prostratis, ad Janisaros, ut vocant, penetrabat, atque in collem, ubi Amurates castra posuerat, temere impingebat. Quo factum, ut Juvenis Princeps vigesimo ætatis suæ anno necdum expleto, a suis derelictus, confosso equo, inter medios hostium enses ceciderit, iisque non tam cæsus, quam obrutus occubuerit, cujus caput abscissum, hastæque infixum Turcæ in partæ victoriæ trophæum omnium oculis exposuerunt.

*Bonfin. l. c.*

Tum demum hostiles copiæ, quæ hucusque de victoriæ gloria desperabant, resumpto animo illos, a quibus paulo ante in fugam acti erant, retrocedere compellebant. Refert Bonfinius, Amuratem, cum suos ingruente proelio titubare, ac terga vertere cerneret, initi fœderis literas e sinu suo extraxisse, atque in-